

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1090

1088

1094

1084

1099

1079

517

Incipit tractatus VIII.

continens peregrinorum acta per mensem Octobrem et
multa alia.

October mensis cum suo primo die illuxit, porro duabus
horis ante lucem Sarraceni et Arabes et omnes, qui de ritu
Machometi erant nobiscum, surrexerunt et igne accenso ac
luminibus inceperunt comedere, bibere, gaudere, ridere, can-
tare, et ultra consuetum modum se dissolvebant nosque suis
clamoribus excitabant et invitabant, ut cum eis conviveremus.
Caussam vero illius intempestivae comedionis cum quaesivis-
semus ab eis, accepimus, quod illucescente die inciperet
eorum jejenum, et ideo ante diei lucem manducant et gaudent,
siquidem Sarracenorum jejenum, quod Machometus eis statuit
in Alchorano, ita servant: per totum annum nullum habent
jejenum, nisi per Octobrem mensem, quem tamen ita jeju-
nant, quod omni die a diluculo, quum suboriri incipit et lumen
tantum fit, quod potest discerni nigrum ab albo in filo, jeju-
nant usque ad solis occasum et tempore diurno non comedunt
nec bibunt nec utuntur uxoribus, sed quiescunt, dormiunt et
cum quadam torpescente tristitia diem deducunt, quamdui
autem sol occidit, expurgisuntur, evigilant, mensas parant,
comedunt et bibunt, non semel, sed totiens, quotiens volunt,
per noctem clamant, cantant, discurrunt et singulis noctibus
sui jejunii insaniunt et uxoribus libidinosissime abutuntur, et
si qui tota nocte vigilare non possunt, ad dormiendum se
ponunt, sed duabus horis ante diem surgunt ad manducan-
dum et viso die cessant. Ideo in civitatibus duabus horis
ante diem currunt eorum sacerdotes per vicos et pulsant cum
lignis ad excitandum homines ad luxuriandum et manducan-
dum usque ad diem. O monstruosum jejenum et carnalibus
hominibus et bestialibus aptum! Absit, absit a nobis talis
praedicator jejunii, post quod in die expletum sic omni libi-
dini, ingluviei, crapulis et comessationibus per noctem operam
impendere praecipit, ut non ob aliud jejenum instituisse

1039

0989

0589

0089

Ende

Anfang

